



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Detectio Nvgarvm Lvtheri, Cvm Declaratione Veritatis  
Catholicae, Et Confvtatione Dogmatvm Lvtheranorvm**

**Bundere, Jan van den**

**Louanij, 1551**

De simulata sui submissione. cap. xv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35621**

ebriofī neque maledici neq; rapaces regnum  
Dei pofsidebunt, Lutherus autem folos infi-  
deles à regno Dei fecludit .

*De ſimulata ſui ſubmiſſione .*

CAP. XV.

**P**HILOMATHES Etsi magnam affer-  
tionum Lutheri partem reieceris, hoc  
in eo opinor comprobabis, quòd ſefe ſa-  
cris literis, ſacris canonibus decretalibus pò-  
tifijs, & eccleſiaſticis patrocinatus, immo ó-  
nium ſuorum ſuperiorum iudicio ſubmiſerit.  
Nam in libro theutonico quem contra ana-  
baptiſtas ædedit commemorat bona que à pa-  
patu habemus, ne omnia reiſciantur propter  
odium Papæ. Nos fatemur inquit ſub papatu  
multa bona eſſe, immo omnia bona Chriſtia-  
na inde ad nos defluxiſſe. Nempe conſitemur  
in papatu veram eſſe ſcripturam ſacram, ve-  
rum baptiſmum, verum ſacramentum altaris,  
veras clauſes ad remittenda peccata, verum  
prædicandi officium, verum catheciſmum, ve-  
luti orationem dominicam, ac decem præce-  
pta & articulos fidei.

Edidit etiam libellum cui hunc præfixit ti-  
tulum, *Reſolutiones diſputationum de indul-  
gentiarum virtute*, miram exhibens erga Ro-  
manum pontificè humilitatè ſubiectiõnemq;

F &

## DE SIMVLATA

& reuerentiam inter cætera dicens. Beatissime pater prostratum me pedibus tuæ beatitudinis, offero cum omnibus quę sum & habeo, Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit, Vocem tuã vocem Christi in te præsentis & loquentis agnoscam.

Itē anno. M. D. xvij. Augustæ corã R. D. Thoma de Vio Cardinali sancti Sixti hanc fecit protestationem. Ego frater Martinus Luther Augustinianus protestor me colere & sequi sanctam Romanam ecclesiam in omnibus meis dictis & factis, præsentibus, præteritis & futuris. Quod si quid contra vel aliter dictum fuit vel fuerit pro non dicto haberi & habere volo.

Misit quoque ad Leonem Papam decimum solennem quandam protestationem, in qua deferebat non solum sacris literis, verum etiam sacris canonibus, decretalibusque Pontificijs & ecclesiasticis patribus, sed & superiorum suorum iudicium in omnibus volebat habere saluum. In protestatione autem quam fecit decertaturus cum Eckio, dixit se non in pugnare, nec christianè à quoquam impugnari posse, primatum & obediẽtiam Romanæ ecclesiæ, Nec derogare se Pontifici quicquid tribuitur ei.

ORTHODOXVS Laudo verba, protestationes

tiones probo. Vtinam tam laudandum pe-  
ctus quàm verba, ~~Erat enim dissimulator &  
simulator maximus.~~ Nam huiusmodi fucis &  
fictionibus poetarum & rethorum sibi ani-  
mos conciliabat, causamq; suam laicis cōmen-  
dabat, indoctam interim plebeculam in suos  
aduersarios concitabat.

Hanc animi sui simulationem & fictionē  
non est veritus indicare lectori suo, scribens  
ei de actis Augustæ, ac inter cætera sic ait, Po-  
steriorem responsionem meam ~~etsi cum mul-  
ta reuerentia dedi,~~ aut velut in arbitriū sum-  
mi pontificis reposui, non tamen id me fecis-  
se credas, quòd de re ipsa dubitem, aut animi  
sententiam sim vnquam mutaturus. Sed quia  
oportuit reuerentiã seruare ei, qui vice summi  
pontificis fungebatur. De legato Ro. Pon-  
tificis Cardinali sancti Sixti sermo est.

Operepretium est iam intelligere ~~vasram  
suam & fictam mentem ex actis Augustæ.~~ I-  
bi enim in Cardinalis legati colloquium be-  
nignè admissus, ac paternè admonitus est,  
tria ex mandato summi Pontificis præstare,  
Nempe ~~vt præuaricator ad cor redeat, er-  
rores recantet,~~ ac deinceps ab eis & ab om-  
nibus quæ ecclesiam perturbare possent ab-  
stineat. At ille post diutinam delibera-  
tionem, nihil horum facere voluit, dicens

## DE BLASPHEMIIS IN

& iactans se nullorum errorum conscium .

Interea spargebantur atrocissimè in summum Pontificem criminationes, iactabantur conuitia , libelliq; famosi protrudebantur in vulgus , quibus non modo Papam , verùm totum clerum, Episcopos theologosq; odiofissimè vellicabant proscindebantq; . An imaduerte mi Philomathes si Christi euangelium admittat huiusmodi fictiones & doctos, si patrū ac superiorū omniū vitā impunè ac passim dilacerare doceat . Scrutare Lutheri lucubrationes & inuenies in animo eius tumorem, arrogantiam, inuidiam, odium, furores, in ore fictiones, calumnias, iniurias, sycophantias, mendacia . In opere concupiscentias, seditiones, seductiones, rebelliones, deprecationes, hoc est euangelium Lutheri

*De blasphemis in summum Pontificem .*

CAP. XVI.

**P**HILOMATHES Citra veritatem ac modestiam effutire hæc placuit.  
**ORTHODOXVS** Quæ sequentia manifesta facient, Leo decimus vir alioquin mitissimus, vt vidit ecclesiam impijs & seditionis Lutheri scriptis vehementer turbari vniuersaque, dissidiumq; indies magis ac magis crescere, ac illum reiectis omnibus quilibet